10.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Dilectissime Hugeni,

nec litteras nec versus rescribo, ne in novum discrimen valetudinem, dubiam adhuc, adducas. Facile enim ex attentiori meditatione incalescunt spiritus, sive sanguis, sive corporis habitus. Tui magis, quam amici rationem habeas. Ubi firmior ac serena magis obtigerit valetudo genio tuo obsequere, et loquacitatem meam ulciscere. Mirabar, imò stupebam, te ad nuperos meos versus tam citò, tam copiosè, tam ingeniosè respondere potuisse, idque aegro adhuc corpore. Vel tuo jam exemplo disco verum esse illud Aristotelis effatum, animam non esse organicam, sed ἀπαθῆ. At contradictoria videor scribere, dum organicam esse nego, et tamen ex attentiore curâ corpus affici dixi. Verum, cum intelligentem oporteat speculari phantasmata, fit, ut agente intellectu phantasia quoque suas peragat partes; at haec corporea est facultas, cujus operatione atteruntur et afficiuntur spiritus animales, et hinc porrò in corpus serpit noxa. Sed haec philosophorum pulpam sapiunt. Tu valetudinem tuam cura diligenter, si amas meam. D. Verburchio velim imperes, ut de valetudine tua me certiorem faciat, idque frequenter. Jam jam enim ex litteris ejus ad parentes datis intelligo nondum te esse ἀπύρετον, hoc est, sine febre. Quare videbor intempestive Apollini egisse gratias, et victoriam ante tubam cecinisse. Fiduciam hanc mihi fecerat carmen tuum, quod à febricitante poeta profectum vix mihi verisimile videbatur. Quae ad plenam salutis tuae securitatem faciant, suppleat supremi Numinis benignitas, cui te precibus quoque nostris commendabimus. Vale amicorum integerrime et diu laetus intersis populo Batavûm.

Tui amantissimus

C. Barlaeus.

21 Jun. 1626. Raptim.

In undecimo versu pro Negligit, lege Despicit. nolui lituram facere.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/320

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/320

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/320

Barlaeus.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/320

Ad Apollinem
pro restitutâ in melius
CONSTANTINO HUGENIO
Valetudine
Carmen Εὐχαριστικόν.

ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Phœbe pater, cuius triplici sub numine numen
Et Claros et Tenedos coluit: cui carmina cordi,
Et iaculis armata manus, victrixq. labantes
Instaurat medicina dies, ac languida motus
Debet vita suos, ereptaq. nomina letho:
Iam grati tibi thura damus, Rhenique sub ipsis
Finibus accensis fumant altaria donis,
Et Batavum tibi flagrat ager; dum læta renidet
Auxilio natura tuo, et properantia sistens
Stamina fatales in tanto corpore lucos
Despicit ~~[illegible]~~, et magno producit lumina vati.
Agricolæ lætis Cereri de rure maniplis
Sacra ferunt, placat Bacchum caper omnibus aris,
Odrysium taurus; magno centena parantur
Busta Jovi, Triviæq. truces delinijt iras
Cerva cadens. Tibi nos priscos mactamus honores,
Taurumq., et raptas calida de matre bidentes,
Quosq. sacrat tibi Persis equos. mihi Pegasus alter
Fundit aquas, aperitq. sacri fastigia montis

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/320

Vngula, quò totos despumet pagina fontes
In laudes Thymbraee tuas. Tu carminis audis
Vota mei, sospesq. tuis Hugenius herbis
Rursus inoffenso ducit vestigia gressu,
Jamq. redux a morte valet, musisq. renasci
Incipit, et lentas cantu proscribere febres.
Qualis ubi aestivas insana canicula messes
Verberat, inflexo nutant Cerealia collo
Pondera, et arentes succumbunt ignibus agri:
Tum melior postquam aura dedit, facundaq. longas
Dispulit unda faces, redeunt sua robora culmis,
Vita satis: et quae poterat periisse videri,
Spes dominum rediviva beat. Non sola vetustas,
Maeonidesq. pater, vel sacris nobilis hymnis
Callimachus tua facta canet. tibi tempora dicent,
Votivum quoq. nostra melos, tibi scribimus hymnum
In Batavis, tanguntq. pios tua numina Belgas.
Plus Deus Hippolyto sanas, quam ludicra vatum
Discerptum commenta stupent, iterumq. renatum
Mendaces cecinere tubae. ploratâ reduxit
Funera, et extinctum falsis Epidaurius herbis
Excitat Androgeum, et Troiae sub moenibus altis
Ficta Philoctetae sanavit crura Machaon.
Cedat Phillyrides, Amythaoniusq. Melampus,

Et Graijs qui præstat opem Podalirius ægris.
Tu cunctis plus Phœbe juvas, diruptaq. pene
Fœdera tot vatum reparas: sanantur in isto
Corpore Pierides, afflictaq. brachia læta
Permiscent Charites; animâ Barlæus in illâ
Sospes abit, vivitq. iterum: communis utriq. est
Una salus, commune decus: languescimus ijsdem
Deficimusq. malis, rursusq. iuvamur ijsdem
Erigimurq. bonis. hæc sors redamantis amici est,
Hic Pyladem testatur amor, devincit Orestem,
Pirithoumq. fides. En quanto patria plausu
Lætitiæ dat signa suæ. Venerabilis aulæ
Gaudia dissimulat Princeps. dulcissima mater
Non morbi spatia ampla dolens, sed cuncta salutis
Expendit momenta novæ. non Curia fratris
Tardari tristatur iter. generosa sorores
Lumina detergunt lacrymis, nec fletibus ultrà
Ora rigant; hilaresq. queunt placuisse puellæ,
Dum solitus redit ore rubor, castiq. lepores,
Blandaq. sperantes facundia flexit amantes.
Pandite vos Helicona viri, cantusq. ciete
Turba poëtarum: nec tu celebrata Camœnis
Anna soror suspende Lyram; licet ista maritus
Otia, et ingratas forsan fastidiat artes.

Oscula tantisper, tantisper basia differ,
Neglectusq. tuâ iam saltem parvulus aulâ
Lusitet Ascanius, donec solennia Phoebo
Carmina, & incolumi destilles metra poetæ.
Traxerat Eurydicen stygijs Rhodopeius Orpheus
Sedibus, unanimi Thrace cúm barbara plausu
Accinuit reduci; nec cúm pallentibus umbris
Exijt audaci Theseus iuratus amico,
Et tremeret Styx atra duos, sua gaudia pressit
Gratia, at invicto suspendit serta sodali.
Nunc etiam sua iura neci, Ditiq. triumphum
Abstulit illa dies, spoliumq. invidit Averno:
Quâ novus, et fractos reparans Hugenius artus
Ambulat, et solitis lassat palatia curis,
Aut turbata suis accommodat organa cannis,
Aut doctum modulatur epos, vel sidera spectat
Æqua sibi, superumq. domos metitur, et ortus
Flammarumq. citos obitus, vel verba disertus,
Et sua in innumeras diffundit nomina gentes,
Linguarum fandiq. potens. Quid maxima cessas
Gloria Toxandrum, Batavi pars prima Senatus,
Grande decus vatum, CATSI? si femina, virgo,
Si memphis lasciva suos suggesserit amores,
Si matres meruere cani, et sua munia per te

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/320

ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Nostrates didicere nurus, docilisq; reperta est
Battavia, asserto potius iam barbita vati,
Et Clario concedere deo. Iam littora Nerei,
Naïadumq; chori, vicinaq. numina. Fauni
Exiliunt, recubansq. aliquis sub tegmine fagi,
Extinctum nondum crudeli funere Daphnim
Ingeminat calamis Corydon, vel gutture Phyllis.
Quaeq. viri forsan thalamos Galatea subibit,
Sic gavisa canit: Vos hoc venerabile Belgis
Depositum servate Dij: si sidera poscant
Indigetem, serò Superos et limina Divum
Adspiciat patrio proles contermina coelo.
Spem faciat sobolis, venturorumq. nepotum,
Quem totum periisse nefas, nec clarior orbis
Incola languenti prorsus sua subtrahat aevo
Nomina. quae paribus patrem virtutibus aequet
Progenies tantos decoret victura penates.

C. Barlaeus.

Lugd. Batavor. XXI Jun. CIↃIↃCXXVI.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/320

Barlaei Ele

uisticon pro

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/320